DEO OPTIMO MAX.
UNI ET TRINO,
VIRGINI DEIPARÆ, ET S. LUCÆ
Orthodoxorum Medicorum Patrono.

QUÆSTIO MEDICA,

QUODLIBETARIIS DISPUTATIONIBUS
manè discutienda, in Scholis Medicorum, die Mercurii
vigesimâ Decembris M. DCC. XXX.

M. JOANNE-BAPTISTA MONGIN,
Consiliario, Medico Regis ordinario, DoctoreMedico,
Chirurgiæ Gallicæ Professore designato, Præside. Autore.

An Sal, Sulphur, Aqua, & Terra Hominis principia?

I.



UI naturæ principia extra naturam ipsam quæsierunt, pro principiis ediderunt chimeras, suæ imaginationis filias. Quot retrò abiere sæcula quibus Physicorum gens, circa mixtorum principia, vix manifesti quidquam enucleavit! Elementorum quadriga, Temperamentorum mensura, idea Qualitatum, obscuræ Physices hypoteses. Hæc veluti per manus tradita opinio, omnium animos usquedum occuparet, ni Philosophi, quos vulgò Chymicos nominamus, clariora detexissent. Cave ne barbaris vocibus *Gas*, *Alkaest*, *Archei*, decipiaris. Sequere oculatiores qui in indagandis naturæ mysteriis apertiorem viam tenuere. Ex omnium fermè corporum Analysi, quatuor materias sensibus planè ab invicem diversas educunt, quibus, pro variâ earum mistione & proportione, omnia naturæ corpora componuntur, suamque symmetriam & virtutes obtinent. Analysis nomine hîc loci intelligitur Anatomia seu divisio atque separatio principiorum quibus mistum constat, & in quæ resolvitur. Hæc ignis ope perficitur, cujus vehementi quo agitatur motu, partes misti concutiuntur, frangitur earum unio, ab invicem separantur, singulæ singulis juxtà suam Homogeneitatem uniuntur. Hâcce operâ patent quæ priùs abdita latuëre. Quædam in Aquam fluunt; alia in Salem concrescunt; alia in Sulphur seu Oleum conglutinantur; alia demum in Terram revertuntur. Quæ in hâc divisione, invitis artificum & labore & industriâ, ad auras avolant particulæ tenuissimæ, ab aliis residuis non sunt essentialiter dissimiles, nec aliâ ratione, quam mole differunt. Hæc quadruplex materia tantam partium subtilitatem generali motuum lege adipiscitur, ut ferè intelligentiam nostram fugiat illius subdivisio; quin tamen illâ tenuitate ipsius essentia vel mutetur vel alteretur. Ne cogites illa principia sensibus obvia, & ex mixtis educta esse simplicia aut homogenea; nova sunt mixta Sale, Sulphure, Aquâ, & Terra composita.

Ea dicuntur principia, non quòd unum ab aliorum consorrio sit absolutè liberum, sed potissimùm quia in singulis una materies cæteris prævaleat.

I I.

SOLUS Homo inter animantia, præter principia jam memorata, spiritu immortali instructus est, ut sit viva Dei imago. Hujus spiritûs immortalis existentiam ratio & fides probant. Alia verò principia materialia, quibus constant Homo & universa corpora, Analysis jam demonstravit; ratio sic ea revelat. Deus Optimus Maximus, ab æterno Orbis mechanismum summâ suâ intelligentiâ perspicuè noscebat, & ex eo precisè quòd voluerit, corpora existere, ipsò-factò extiterunt. Hinc liquet quatuor principia Analysi evoluta, immediatâ Creatoris voluntate effecta fuisse, nequaquàm verò progressu, vel operâ legum generalium motûs; hinc iterùm sequitur illa principia esse ab invicem diversa, & distincta, nec proindè unum alterius compositioni inservisse. Ne credas ergo cùm Carthesianis Philosophis, unicam tantum creatam fuisse materiam, ut ex eâ fermentationis ope, aut motuum lege, alia principia formarentur; sic procedit vulgaris artifex; per vias simpliciores, breviores, potestati suæ respondentes agit summus naturæ auctor. Ut fierent mixta, oportebat omninò ut variæ essent materiæ heterogeneæ, quæ verbo FIAT, imperante Orbis Conditore erupere. Nisi essent plura miscibilia, nulla fieret mixtio, neque generatio; cuncta essent Homogenea, ac proindè nullius alterationis capacia : quod maximè adversatur iis quæ in naturæ observantur operibus, ubi percipitur omnia nasci & perfici, ut sese mutuò dividant alterent que. Hinc Galenus libro primo de Elementis rectè ex Hippocrate scripsit: *Hominem nunquam dolere, aut saltem unico egere medicamento, si unico Elemento, aut principio constaret; esset unius-cujusque unica natura unicus affectus, ratio redeundi ad naturalem statum unica,* quod experientiæ contrarium deprehenditur, cum infinitæ sint tum morborum, tum præsidiorum species.

III.

PERSPECTIS sensibilibus corporum principiis, alia sensibus non obvia, quibus corpus Humanum continuò afficitur, solâ ratione investigare licèt, Aërem & materiam subtilem intelligimus. Ab instanti suæ creationis principia mota fuerunt, & divisa cum eâ motûs activitate, & molis tenuitate, ultrà quam nec plus moventur, nec dividuntur. Eadem principia ad hanc ultimam tenuitatem deducta, ab invicem sejuncta, quæ nec sensus percipiunt, nec ratio satis intelligit, id efficiunt quod Atomos, seu materiam subtilem, seu principia essentialia nominamus. Atomi, seu materia illa subtilis, velocissimo quo concitatur motu, vitam, motumque mixtis confert. Plura ex iisdem minimis principiis inter se conjuncta, corpuscula globulosa componunt elateris capacia, & valde idonea ut sonum ad aures, & lucem ad oculos deferant. Hæc corpuscula globulosa Aërem nominamus, qui tanquam medium concipitur ad infringendum velocissimum materiæ subtilis motum, ut actiones animalium, & vegetabilium germinationes satiùs & aptiùs perficiantur. Tandem numerus innumerabilium ferè moleculārum, sivè congerierum eorumdem principiorum invicem conjunctarum, ea componunt principia, quæ integrantia nominamus, quæque

Analyſis ope extrahuntur, & quæ ad corporum compoſitionem immediatè concurrunt.

IV.

UNICA eſt ſpecies Salis, Sulphuris, Aquæ, & Terræ. Aqua eſt materia, ſeu principium cujus partes eſſentiales ovorum modo conſtructæ ſunt, non inter ſe exactè conjunctæ, ſed terſæ atque læves; hâc ovatâ figurâ & lubricitate facillimè ab invicem ſeparantur, & quoquò versùm moventur. Aqua eſt tanquàm medium in quod materia tenuiſſima, ſeu atomi, vim ſuam exerit, ut alia principia, vel uniat, vel dividat, & ad actionem commoveat. Sal eſt principium, durum, rigidum, & aculeatum, in aquâ ſolubile, ad fermentationem excitandam, & ad corporum diſſolutionem aptum; dùm ſalis aculei intrà poros corporis impelluntur, cunei munus efficiunt, & motu quo concitantur illud frangunt, dividuntque. Sal actione caret, niſi Aquæ motu diluatur; hinc viguit illud axioma, *ſalia non agunt ni diſſoluta*; viciſſimque dici poteſt maximam vim liquidorum à ſalibus pendere. Odores, ſapores, qui à nobis percipiuntur ex ſalium aculeis vim ſuam præcipuè deſumunt. Sulphur ſeu oleum eſt principium flexile & ramoſum, reliqua nectens principia, mixtis unctuoſitatem, malleabilitatem, & inflammabilitatem concilians. Terra eſt principium poroſum, ſcabroſum & inæquale, ad motum ferè ineptum, alia principia in ſuis poris excipiens, & matricis ad inſtar mixtorum productioni inſerviens. Hæc ſunt principia quibus corpus humanum conflatur, & in quæ reſolvitur. Os, Cartilago, Caro muſculoſa, Viſcerum diverſæ ſpecies, omnium generum fibrillæ, omneſque humores ſeu liquida quæ in harum partium ſolidarum contextus & canales perpetuò fluunt, continent hæc principia. Non ſolùm corporis partes hiſce principiis gaudent, verùm ab eorum energiâ ſeu viribus, motus ſuos recipiunt, affectus patiuntur, proprietates intrinſecas conſervant. Sanguis diverſas Salis, Sulphuris, Terræ & Aquæ particulas ab alimentis mutuatur; ratione hujus diverſitatis, & maximè propter varios ſalis aculeos blandè fermenteſcere cogitur: hinc eædem particulæ ſimul cum Aquâ permixtæ novam tenuitatem, mixtionem, colorem, odorem, & ſaporem in variis poris, ſeu glandulis ſibi vindicant, ut ſuccus Gaſtricus in Stomacho, Bilis in Hepate, Lympha in Glandulis Lymphaticis, Urina in Renibus &c. Ad illam metamorphoſim parum aut nihil confert vis ſolidorum claſtica; equidem vis illa nihil ferè efficit præter truſionis motum, quo liquores ex unâ parte, ad aliam citiùs perveniunt. Hinc ſanguinis & omnium liquorum circulationes, ſecretiones & cæteræ hujuſmodi operationes.

V.

OMNIA corpora, Sale, Sulphure, Aquâ & Terrâ componi, tanquàm principiis, ſuadet ratio, probat Analyſis, evincit tot experimentorum notitia. Plura ſunt corpora, è quibus quædam aut nulla principia elici tantum poſſunt, ut v. g. Aurum & quædam mineralia, quorum principia adeò intricantur, ut ex iis erui nequeant, & ideò, vix deſtrui poſſint. Abſtineas judicare illa principia non exiſtere in miſto, ex eòquod eorum ſeparatio, aut extractio nulli arti cedat; effectus, proprietates, & munia, eorum probant præſentiam: judicium & ratio certò confirmant quod ſenſibus negatur. Unum quod-

que horumce principiorum in omnibus ferè miſtis diverſum eſſe videtur ratione effectûs; hæc diverſitas à variâ proportione & quantitate eorumdem dependet. Diverſa textura quanquam diſſimili facie, ſemper eadem agnoſcit principia. Ab admiſſis principiis ſi expediantur mixta, perit forma, perit corpus, non pereunte materiâ. Viliora ſi quæ ſint miſta, iiſdem conſtant principiis ac pætioſiſſima: eædem partes oleoſæ quæ in Cinnamomo gratiſſimo fragrant odore, in Cicutâ malè olent, pro diverſis aliorum principiorum quantitate, miſcendi modo, & aliis circumſtantiis. Omnia principia ab invicem ſic dependent, ut unum abſque alio non valeat operari: non pungeret Sal, niſi ab Aquâ tanquàm à vehiculo moveretur: Aqua itidem Sale deſtituta, ſic langueret in ſuis operationibus, ut in nobis ſenſus vix excitaretur: Oleum careret omninò odore, ſapore, & liquiditate, niſi Aquæ, & Salis particulis interciperetur: Sal, Sulphur, & Aqua terræ ſubſidio egent, ut viciſſim duri corporis baſim componant: Terra abſque aliis principiis foret otioſa vel inanis. Non ſolùm in ipſis Terræ viſceribus eadem principia deprehenduntur, ſed in Aërem elevantur particulæ, Aqueæ, Salinæ, Oleoſæ, Terreæ quæ pro Aëris altitudine Orbis regione, Lacuum viciniâ &c. ſubtiliores evadunt. Hæ particulæ iteratis circulationibus, è Terrâ in Aërem, & ex Aëre in Terram nova mixtorum genera procreant: has generationes examinare eſt in parietinis, ubi ſalinæ concretiones fiunt. Habes exemplum in Terrâ apprimè calcinatâ. Lotâ & aliis principiis deſtitutâ, quæ temporis progreſſu iiſdem imbuitur. Ex vaporibus, fumis, exhalationibus fiunt concreta v. g. fuligo caminorum, ex quâ Sal, Sulphur, Aqua & Terra iterùm educuntur. Plantæ & alia alimenta quibus in cibum utitur homo, iiſdem pollent principiis, & cum certò certiùs ſit quod conſtemus quibus nutrimur, jurè ac meritò concludimus.

Ergo Sal, Sulphur, Aqua & Terra, Hominis principia.

DOMINI DOCTORES DISPUTATURI.

M. Nicolaus le Tellier.

M. Petrus Afforty Pharmaciæ Profeſſor.

M. Claudius-Antonius Renard.

M. Franciſcus Bailly.

M. Andreas de la Leu.

M. Antonius Le Moyne.

M. Antonius Geoffroy.

M. Joannes-Franciſcus Couthier, Chirurgiæ Profeſſor deſignatus.

M. Joannes Baptiſta Mongin, Chirurgiæ Gallicæ Profeſſor deſignatus Conſiliarius, Medicus Regis Ordinarius, Actûs Præſes.

Proponebat Pariſiis, LUDOVICUS-MARIA POUSSE Pariſinus, Baccalaureus Medicus, A. R. S. H. 1730. à ſextâ ad meridiem.

Typis G. F. QUILLAU, Univerſitatis & Facultatis Medicinæ Typographi, 1730.